

P R A E F A T I O

professus sum et semper profitebor, me Ernesto fidelissimo praeceptorum meo cum multa alia beneficia tum Graecarum litterarum amorem studiumque debere. Caeterum de editionibus vniuersorum operum Xenophontis et siglis, quibus breuitatis gratia vsus sum ad plures editiones ad vnum caput redigendas, aliisque praesidiis criticis hic dicere nihil attinet, quoniam in praefatione ad Cyropaediam de hac re satis dixisse mihi videor, nec interim quicquam accidit, quod me sententiam mutare coegeret. Sed de horum commentariorum editionibus, quas vsurpauit, breuiter est dicendum. Ad has vero primum referenda est *Parisiensis*, quae anno 1541 in quaternis apud Iac. Bogardum prodiit, inscripta: *Ξενοφώντος Ἀπομνημονευμάτων βιβλία τέσσαρα Xenophontis Commentariorum libri quatuor, ad fidem vetusti et manuscripti codicis diligenter emendati.* Continet sane illa lectiones haud contemnendas, vt ex notis patet nostris. Sed titulus mentitur librorum numerum, quia non nisi duo priores ibi sunt editi, quibus accessit antiqua Bessarionis interpretatio latina in totidem libros. Haec editio vulgo plane ignota seruat in bibliotheca nostra Academica. In eadem vrbe apud Martinum Iuuenem anno 1559 in eadem forma prodiit editio, quam memorat Fabricius in *Bibl. Graeca*. Hanc nullo modo mihi comparare potui. Sed quantum ex notis Schützii V. C., qui eam ex bibliotheca Vinariensi acceperat, colligere licet, pars prior repetita est ex *Parisiensi* modo laudata, posterior autem fere textum Iuntinum referre videtur. Eiusdem seculi anno 85 eadem forma Rostochii prodiit editio Graeca cum *Io. Caselii* ad Henricarolaeum Hermelingium epistola, in qua omnia alia narrantur, quam quae ad Xenophontis editionem pertinent. Vsum criticum illa non habet. Nam exhibet textum Stephanianum; interdum autem expressa est lectio editionis Halensis vitiosa. Cuius rei causa videtur fuisse, quod exemplar illius editionis, sed minus diligenter correctum ad Stephanianam aut Leonclauianam,

ad